AMATORIAE NARRATIO-
NES PLVTARCHI CHE-
RONEI, ANGELO
POLITIANO
INTER-
PRETE.

ANGELVS POLITIANVS PAN/ dulfo Collenucio Piſaurenſi iureconſulto. S. D. P.

m

Emini te, cũ Alexandri Aphrodiſei proble/
mata, quæ nos e græco nuprime ſumus in/
terp̃tati, leſtitares; eius nouitate fabulæ de/
leſtatum, quæ Erinnyn furiam a cupidine amatã con/
fingeret, quoniam peruerſe quidam nimiũ, ut ipſe in/
quit, impieq́ amarint. Quare cum quædam Plutarchi
amatoriæ narratiunculæ in manus incidiſſent, quæ id
ipſum perſpicue declararent, eas tuo nomine ſubciſiuis
horis latinas feci. qui enim tibi negarẽ, quod tam aman
ter, tam ingenue peteres, ut tibi aliquid e græco breue
egregiumq́ tranſferrem, quod amoris noſtri monumẽ
tum, ac pignus extaret? Quare, ut Catullus ait, habe tibi
hoc, quicquid eſt libelli, atq́ hoc nunc quidem, alia cũ
licebit. Tu uale, & principis tui uirtute benignitateq́
fruere, nos conceſſo nobis a Laurentio Medice feſula/
no ocio, uel his temporibus fruimur. neq́ enim uir ille
aureus paſſus eſt, ut muſis noſtris, quæ in ſuo gremio
creuerint, aut ueſtra iſta claſſica, aut peſtilentiæ fragor
obſtreperet. Feſulis nonis Sextilibus. Mcccclxxviii.

PLVTARCHI CHERONEI AMATORIAE NARRATIONES ANGELO POLITIANO INTERPRETE.

IN Aliarto Bœotiæ urbe, puella quædã fuit forma præcellẽs Ariſtoclea nomine Theophanis cuiuſdam filia. Hanc duo amabãt iuuenes Strato Horchomenius, & Calliſthenes Aliartius. Ditior Strato erat, multoq; magis puellæ amore incenſus. Nanq; eam forte fortuna in Lebadia uiderat, cum ſeſe illa in Herryna fonte commodum perlueret. Erat enim Ioui regi ſacram ciſtam latura. Incertus quid ageret Theophanes, metuebat enim Stratonem, ut qui & opibus, & genere omnibus ferme boetiis anteiret, Eius optionis Trophonium conſulere cogitabat. At Strato, cum a uirginis domeſticis, magis ad ſeſe illam, quã ad Calliſthenem uergere perſuaderetur, operam enixe dabat, ut puellæ ipſi coniugis optio daretur, ut uero Theophanes palam omnibus, natam interrogauit, Eaq; Calliſthenem maluit, Continuo apparuit iniquiſſimo Stratonem animo tuliſſe. poſt biduum igitur Theophanem, Calliſthenemq; adiit affirmans uelle ſe amicitiã aduerſus eos initam ſeruare, tametſi nuptias deus ſibi aliquis inuiderit. laudãt illi, eumq; ad nuptiarum epulas uocãt. Magnam uero is ſociorum, ac miniſtrorum inſtruit manum, eoſq; omnis inter ipſam turbam aliũ alibi diſperſos, ac ueluti latentis eſſe iubet, donec puella de more ad fontem, qui Cniſoeſſa uocatur, deſcenderet, ut uidelicet nympharũ ſacris, quæ protelea uocẽt, operaretur.

Tum facto impetũ, qui iñ inſidiis erant diſpoſiti puel/
lam corripiunt. Ibi eam Strato ad ſe trahere, Calliſthe
nes contra, ut decuit, retrahere ad ſe. Idem & utriuſq; ſo
cii, pro ſe quiſq; obnixe agere, donec puella inter repu/
gnantium manus dilacerata, exanimataq; eſt. Calliſthe/
nes igitur cõtinuo ex omnium ſeſe oculis abſtulit. Neq;
poſtea compertum cuiquam, interemerit ne ſe, an pro/
fugus Bœotia exularit. Strato autem in omnium cõſpe
ctu ſupra ipſam uirginem ferro ſe iugulauit.

Cum Phydon quidam peloponneſiorũ principatu
inſidiaretur, argiuamq; urbem, quæ ſua patria eſſet, reli
quis omnibus imperitare uellet, dolum primo coryn/
thiis intendit. Miſit enim qui ab eis mille adoleſcentes,
cum ætatis uigore, tum fortitudine præſtantes peterẽt.
Mittuntur igitur Dexandro duce, cum itaq; in animo
haberet Phydon, inſidiari iis, ut corinthum imbecillio
rem efficeret, Eaq; ſuo arbitrio uteretur, Id enim unum
totius Peloponneſi ueluti propugnaculum eſſe intelli/
gebat, rem omnem cum ſociis quibuſdam cõmunicat.
Inter eos, & Abron quidam fuit Dexandri hoſpes, is ei
inſidias aperit. quo effectum eſt, ut ante inſidiarum tem
pus Corinthum omnes incolumes diſceſſerint. ueſtiga/
bat Phydon eius arcani proditorẽ, omniq; in id cona/
tu incumbebat. Metuens uero Abron una cũ coniuge,
ac domeſticis, Corinthum migrauit. Atq; in Meliſſo,
qui uicus eſt agri Corinthii, habitauit. Ibi & filiũ ſuſce/
pit, cui a loco nomen Meliſſo fuit. huius autem Meliſſi
filius fuit Actæon, forma pariter, atq; modeſtia inter
æqualis excellens. Eum quã plurimi amarũt, ſed omniũ

ardentiſſime Archias ex Heraclidarũ genere, qui cum diuitiis, tum potentia Corinthiis omnibus anteibat. Is cum perſuadere adoleſcẽti fruſtra tentaſſet, ad uim animum adiecit. Profectus igitur cõmeſabundus ad Meliſſi aedes, amicorum, ac domeſticorum magna ſtipatus caterua, puerum abducere tentabat. Renitente igitur patre, unaque ſecum, & uicinis, qui concurrerãt, miſerum illum ad ſe retrahentibus, in repugnantium manibus Actaeon diſcerptus eſt. Ita domum quiſq; digreſſi. At Meliſſus pueri cadauer in forum illatum, miſerabiliter oſtentare, Simul ſuppliciũ de ſceleris authoribus efflagitare. Miſerabantur quidem omnes ſenem, praeterea tamen agebant nihil. Cum itaq; re infecta domum rediſſet, obſeruato celebritatis iſthmiacae tempore, conſcenſo Neptuni templo, Bacchiadas implorabat, patriſq; ſui Abronis beneficia cõmemorabat, inuocatiſq; diis, praecipitem ſeſe de tẽplo iecit. Haud multo poſt, aeſtus quidem ingens, ac peſtilẽtia urbem inuadit. Conſultum igitur de ciuitatis ſalute oraculũ reſpondit, Neptuni illam eſſe iram, non quieturam donec Actaeonis mortem uindicarint. His Archias auditis, Nanq; is oraculo intererat, Corinthum quidẽ minime rediit, Sed in Siciliam naui praeuectus, Syracuſas condidit. cumq; ibi duas filias ſuſcepiſſet, a Telepho cuius florem aetatis decerpſerat, quiq; in Siciliam ſecum nauigarat, per inſidias eſt interemptus.

Vir pauper Scedaſus nomine, habitabat in Leuctris, qui eſt Theſpienſis agri exiguus pagus. huic filiae duae fuerũt, Hippo, & Miletia, ſiue, ut quidã aiunt, Theano,

& Euexippa. Erat autẽ Scedaſus uir probus,atq; aduerſus hoſpites perhumanus, tametſi ille haud quaquam multa poſſidebat.Cum ad eũ igitur duo Spartani adoleſcentes acceſſiſſent,perlibẽter accepti ſunt. Exarſerũt illi uirginum amore,quoq; minus quid auderent, Scedaſi probitate prohibebantur. perrexerunt igitur in Pythonem, quo uidelicet iter inſtituerant,conſultoq;, ut res tulit,deo,domum regrediebantur,factoq; per Bœotiam itinere, in Scedaſi rurſus domum ſe recipiunt. Is forte fortuna peregre aberat,ſed eius filiæ eos de more accipiunt, qui cum puellas incuſtoditas offendiſſent, uim in eas faciunt, quas cum ſupra modum,excepta cõtumelia ſeſe miſeras afflictantis uiderent, ambas interficiunt,iactiſq; in puteum cadaueribus,abeunt. Reuerſus Scedaſus, puellas quidem nuſquam uidet,omnia uero, quæ relicta a ſe forent,ſalua offendit,incertuſq; diutius rerum omnium perſtitit, donec admurmurãte catella, & nunc ad ſe curſitante,nunc ad puteum frequentius redeunte,coniecit id,quod erat,atque ita filiarum corpora extraxit. Cum uero ei uicini dicerent, uidiſſe ſe, qui eius domum pridie eius diei ingrederentur,lacedæmonios illos, qui & ſuperioribus diebus apud eum ipſum diuertiſſent, tranſactum ab iiſdem facinus proculdubio intellexit. Nam & ſuperioribus diebus ſæpe ipſas puellas laudabant,quiq; eas deſponſaturi eſſent,beatiſſimos prædicabant. Lacedæmonem itaq; proficiſci ſtatuit, remq; omnem ad Ephoros deferre. Sed cum ad Argiuorum perueniſſet agrum,noctu præuentus in diuerſorio reſtitit. Ibi & ſenem aliũ offendit Orei ciuem,

quod in Eſtiæatide agro, oppidum eſt. quem cum, &
gementem, & lacedæmonios diris agētem uideret, in/
terrogauit, Ecquonā is malo a lacædemoniis eſſet affe/
ctus. Narrauit ille ſubditum ſe eſſe Spartanorū ditioni,
miſſum uero in Oreum, qui magiſtratu fungeretur Ari
ſtodemum, omni prorſus crudelitate, atq; iniquitate
uſum eſſe. Nam cum, inquit, filium meum amaret, neq;
precando quicquam, pollicitandoq; efficeret, ad uim
conuerſus, eum de palæſtra rapere aggreſſus eſt, prohi/
bente uero id palæſtræ magiſtro, ac nonnullis adoleſcē
tibus opem ferētibus, ſtatim quidem Ariſtodemus di/
greſſus eſt. poſtridie autem inſtructa triremi adoleſcen/
tem rapit, atq; ī ulterius litus tranſuectū uiolare nititur,
fortiuſq; reluctantem gladio iugulat. Tum in Oreum
regreſſus conuiuiū celebrat. Ego uero interim facinus
indignū audio, natiq; corpus humi mando, Tum Spar
tam contendo, remq; omnem Ad Ephoros defero, cu
ius illi rationem prorſus nullam habuerunt. His Sceda/
ſus auditis, uehementer perturbatur. Nam & ſui rationē
nullam habitum iri exiſtimabat, ita uiciſſim hoſpiti ſuā
calamitatem narrat. Cohortatur ille ne ad Ephoros
accedat, ſed in Bœotiam redeat, liberiſq; ſuis tumu/
lum condat. Minime id tamē Scedaſo perſuadet. Per/
git igitur Spartam, atque Ephoros cōuenit. Neglectus
ab his Reges adit. Mox populares ſingulos ambiens,
ſuam calamitatem conqueritur. Quæ cum omnia fru/
ſtra cecidiſſent. Tum uero Scedaſus mediam per urbē
currere, manus ad ſolem tendere, tum ferire humum,
furias inuocare, poſtq; hæc omnia, ſibi mortē cōſciuit.

Haud multo igitur poſt,pœnas lacedæmonii dederũt. Nam cum uniuerſæ græciæ imperitarent, omniſq; urbes præſidiis firmaſſent, Thebanus Epaminũdas,quotquot ſuæ urbis præſidiũ tenerent, ad unum trucidauit. Inſurgentibus uero in bellum lacedæmoniis, occurrũt thebani ad leuctra, loci uidelicet auſpicium captantes. Nam & antea eo ipſo loco libertatem recuperarãt,quo uidelicet tempore Amphictyon a Sthenelo in exilium pulſus,in thebanorum urbem confugit,qui cum chalcidenſes ueƈtigales feciſſet,tributi ĩmunes thebanos reddidit,quippe qui Chalcodontem Euboœenſium regem interfecerit. Fuſi igitur, cæſiq; ad unnm lacedæmonii omnes ad ipſum natarum Scedaſi monumẽtum .ferunt autem priuſquã in pugnam prodiretur, Pelopidæ uni ex thebani exercitus militibus, ſignis quibuſdam, quæ aduerſa putarẽt, exterrito Scedaſum ĩ ſomniis uiſum, qui bono eſſe aĩo iuberet.uenire.n.ĩ leuctra Lacedæmonios,ſuppliciũ ſibi,ſuiſq; natabus,perſoluturos,ſimulq; iuberet, ne ante in pugnam prodirent, quã equi candidũ pullũ,qui paratus afforet,ad uirginũ ſepulchrũ immolarẽt. Pelopidã uero militãtib. adhuc in Tegea lacedæmoniis miſiſſe in leuctra dicũt, qui de eo ſepulchro anquirerent,req; omni ab ĩdigenis cõperta,optima imbutũ ſpe,eduxiſſe exercitũ, atq; ita uictoriã reportaſſe.

Phocus Bœotius quidem genere erat, utpote ex liſante. Vnicam hic filiam habuit forma,atque modeſtia præcellentem. Triginta illam Bœotiorũ primarii adoleſcentes,uxorem ſibi quiſque poſtulabant. Phocus uero alias ex aliis, nuptiarum moras nectebat, metuens

alias ex aliis nuptiarum moras nectebat

uidelicet, ne qua uis inferretur. poſtremo rogantibus illis, Pythium dixit eius ſe optionis conſulturum. id illi auditum ægerrime tulerunt, Phocumq; ipſum facto impetu interemerunt. In ipſo autem tumultu fugitans puella, per agros errabat, ſequebantur uero adoleſcentes. Sed cum ea in agricolas incidiſſet, qui triticum in area coaceruarent, ſalutem per eos conſequuta eſt. occuluerũt enim ipſam agricolæ in tritico, atq; ita a perſequentibus tranſmiſſa eſt. Quæ cum euaſiſſet, celebritate, quæ Bœotiis omnibus communis foret, obſeruata Coroneam profecta, ad Itoniæ Mineruæ aram ſupplex conſedit. Ibi porcorum iniquitaté narrãs nomen ſimul cuiuſq;, ac patriam edocebat. Miſerabãtur itaq; Bœotii puellam, atq; adoleſcentibus ſuccenſebatur. Ei uero, cũ hæc audiſſent, in orchomenum confugiunt a quibus repulſi ad Hippotas abierũt, qui uicus prope Heliconem inter Thebas, & Coroneã ſitus erat. Ab his igitur ſuſcepti ſunt. Poſt hæc mittunt Thebani, qui Phoci interfectores ſibi dedi poſtulét. Quod ubi minime impetrãt, bellum eis Thebani una cum cæteris Bœotiis inferunt. Eius belli imperator Phoedus fuit, qui tum Princeps Thebanorum erat. expugnato igitur uico munitiſſimo, quiq; intra ipſum erãt, ad extremã ſitim redactis, comprehenſos phoci interfectores cõburũt, indigenas uero ipſos in ſeruituté abducunt, dirutiſq; mœnibus, ac domibus, agrũ Thebani ĩter ſe, Coroneiq; diuiſerunt. Ferũt uero nocte ipſa, quæ Hippotarũ captiuitaté pceſſerit, uocé ſæpius ex Helicone auditã, quæ diceret, adſum. procos autem triginta uocé illam, ut quæ phoci eſſet,

agnouiſſe. Qua uero die ad bellum prodierunt, monu-
mentum ſenis, quod in Liſante foret, Croco fluxiſſe tra-
ditur. Phaedo autem Thebanorum Principi, atq; Impe-
ratori a pugna redeunti nuntiatum, filiam ſibi natam,
quam ille, accepto auſpicio, Nicoſtratam appellauerit.

Alcippus genere quidem lacedemonius erat, ducta
uero Damocrita uxore, binos ex ea fœminei ſexus libe-
ros ſuſcepit. Is cum & optime ciuitati conſuleret, & ea
ageret, quæ eſſe e Rep. intelligeret, Inuidiam in ſe eorũ
concitauit, qui aduerſas ei partis in Rep. fouerent, a
quibus falſis ſermonibus perſuaſi Ephori, uelle Alcip-
pum leges diſſoluere, exilio ritũ mulctarunt. Exiuit ille
quidẽ Sparta. Damocrita uero uxor, quæ ſe uiro comi-
tem, una cũ filiabus præbere uellet, prohibita eſt. Quin
& eius bona publicarunt, ne dos uirginibus ſupeſſet. ſed
cum nõnulli puellas ſibi ob paternam uirtutem uxores
poſtularent, ſenatus cõſulto ab inimicis prohibiti ſunt.
uxores illas accipere, quippe qui de ipſarum matre uo-
tum dicerent auditum, ut ſibi quã ocyſſime liberi ex na-
tabus orirentur, qui patrem uindicarent. Cum igitur
undecunq; Damocrita impugnaretur, cõmunem quan-
dam totius populi celebritatem obſeruauit, ad quam
mos erat, ut una cũ uirginibus, domeſticiſq; omnibus,
atq; infantibus mulieres conuenirent. quæ uero ex nobi-
litate eſſent, ſeorſum ipſæ a cæteris, in magno quodam
androne pernoctabant. Ibi illa gladio ſub ueſtem accin-
cta, comites ſecum filias educit, Noctuq; in templum
proficiſcitur, obſeruatoq; tempore, quo omnes my-
ſterio interforent, cum occluſæ fores eſſent, magnam

lignorum uim ad eas conſtipauit, quippe quæ ad ma-
num, præſtoq; forent, ad ſacrorum uſum cõuecta. Tum
ignem immiſit, accurrentibus autem auxilio uiris, filias
ipſa ſuas, tum ſeſe ipſam Damocrita gladio interfecit.
quapropter cum minime haberent, in quos iram effun-
deret, extra fines damocritæ, natarũq; corpora proii-
ciunt. Quamobrem irato deo, ingens ille traditur Lace
dæmone terræmotus extitiſſe.

FINIS.